

verunt : itaque verum extitit illud quod scriptum est : Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi, &c. Filij alieni mentiti sunt mihi, &c.¹ Filij quidem alieni sunt populi Orientales iam à fide C^hristiana alieni, in quos propterea torqueri potest illud Evangelij quod iam adimpletū videmus : Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur gēti faciēti fructus eius.² 608
 Nunc autem ecce tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, qua Deus visitabit & faciet redemptionem plebis suæ, & populus qui eū non cognovit serviet ipsi, sed & in auditu auris obediet, si me indignū servum tanti muneris ducem esse patiat. Qua in re Beatitudinis vestræ charitatem per viscera misericordiæ Dei nostri deprecor, auctoritatem imploro, adiuro sanctitatem, ut mihi ad illud opus iam-jam properanti, uxori charissimæ, ac liberis ; necnon domesticis, socijsque meis, vestrā benedictionem impertiri dignemini, quā certa fide credo nobis plurimum ad salutē non solū corporis, sed etiā animæ, addo & ad terræ nostræ vbertatē & 372 propositi nostri felicitatē, profuturum. Faxit Deus Optimus Maximus, Faxit Dominus noster & Salvator Iesus Christus, Faxit vna & Spiritus sanctus, ut in altissima Principis Apostolorū puppi sedentes per multa sæcula Ecclesiæ sanctæ clavum tenere possitis, & in diebus vestris (quæ vestra sanè maxima gloria est) illud adimpletū videre quod de Christo à sancto Propheta vaticinatū est : Adorabunt eū omnes Reges terræ : omnes gentes servient ei.³

Vestræ Beatitudinis filius humillimus
 ac devotissimus,

JOANNES DE BIENCOVR.

¹ Psalm xvii. vers. 45.

² Matt. xxi. vers. 43.

³ Psalm lxxi. vers. 11.